ff. quod metus causa. Brunnius in Cod. l. 1. t. 10. num. 6º Nam qui dicat fuisse parvulum metu rerum quarumvis leviorum, præterquam quod ab ignorantia perperam petit excusationem, rem proposita dicet parum credibilem; cum multo justius putandum sit deliquisse sponte sua, quando deest in rebus talibus digna causa timendi l. metum 6ª, et lege sequenti in pr. ff. quod metus causa; quando ineptus quoque metus rerum ejusmodi, qui ad crimen adduceret, debuit facile vinci ab alio eo, qui contra a crimine abducebat, metu culpæ, atque supplicii.

At graviora ea mala, quæ metum juste pariunt, refert utrum obligaretur pati necne ille, qui formidavit: si obligabatur, veluti si reus sceleris, qui legitime ad mortem damnatus cras debebat mori, perruptis hac nocte carceribus, necatoque custode aufugerat, non excusabit nova ista crimina metus mortis proximæ, quia justum erat, hunc hominem morti damnari, ideoque vituperabilis videri debet electio, dum ille malum morale criminum novorum ducit anteponendum morali bono justitiæ explendæ per mortem suam l. continet 3ª § sed etsi 1º ff. quod metus causa. Engel

in Jus Canonicum lib. 1º tit. 1. § 5º num. 5º

Quid nunc si sunt formidata mala, quæ nullo jure subeunda erant? Ut si quis armatus tibi his verbis nuntiaverit: aut stuprum huic mulieri inferto, aut hic proximus ego te occidam: non erit sane purus sceleris, qui obtemperavit jubenti talia, Cicero de Officiis lib. 3º cap. 1º Nam si minima de malis eligi vult natura, stuprum erat malum majus, imo vero unicum, quoniam erat malum morale, erat mala res, ac turpis intrinsecus: ex contrario per alienam vim amittere membra, vitamque ipsam, sunt magis illa quidem incomoda, permolesta, aspera, quam vere mala, cum nullam habeant moralem, internamque pravitatem, Tullius loco cit. Antonius Matheus de criminibus prolegomenorum cap. 1º § 3º vers. ne clauder (§ 5º in fine).

Injustum ideoque malum morale est obligare obedientiam ei, qui habet jus imperandi: hinc patet moralem vere labem contrahere, quicumque delinquendo desciscunt ab imperantis legum. At si quando simus deducti in discrimen tale, ut vel discedere a præscriptis legitimis,

vel debeamus pati aliquam injuriæ oblatam, direque timendam calamitatem, non semper opponimur legem adeo inexorabilem, ut velit nos dedi jussis nisi etiam tanto cum damno nostro. Criminum si metu adhibito patrari a nobis res per se, et intrinsecus mala, ceu homicidium, adulterium, et generis cętera hujusmodi, quidvis potius patiendum, ne contaminemur hisce pravis, fœdisque (hoc eodem § 39.°): nec vero ista, quę sunt ex prohibitis jure divino possunt unquam humana lex in permissis habere. Longe autem aliud est in cęteris; quę; cum mala per se non sint, esse tamen cęperunt propter externam, adventitiamque legum interdictionem.

Quare pręcepta mere ecclesiastica, si quis dicto metu prohibitus non observavit, nihil videbitur peccavisse: siquidem passim illud, ac tralatitium, quod Ecclesia mater pia neminem exigat suis pręceptis parere gravi cum incomodo. Et quod attinet ad scita quoque civilia, si exstat in civitate lex, quę, pręscripta pęna, interdicat armorum lationem, nemo, arbitror, sanus erit, qui putet interdictionem tale pertinere etiam ad illum, quem quis metu mortis, aut vulnerum, aut alterius cujuspiam mali pertimescendi

rei cogat domo exire cum armis. Nam quid tandem reprehendes in isto, qui tantum sui redimendi causa facit rem nec per se noxiam, nec, quoniam invitus, adactusque facit, exempli mali. At miles, qui, instante prœlio, signa deseruit, ~~[illegible]~~ id facit metu mortalis periculi, nihilominus erit reus criminis, quia prodidit officium suum, prodidit patriam, publicamque salutem, quam ratio, legesque omnes humanę, divinęque volunt saluti, commodisque privatis longe anteponi.

Ad extremum expedit animadvertere, quod etiam tunc, quando metus non valet crimen abstergere, solet saltem lenire pęnam, Antonius Matheus de criminibus in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4.° § 4. Tali autem lenimine nihil justius. Nam qui deliquit propter metum, sane is non deliquit sponte, et si non prorsus ei libertas defuit, nec libertate plene fuit potitus: prętorquamquod perturbatio illa mentis, quę a metu nascitur, haud parum nocet intellectui ipsi, quę lucerna veluti est voluntatis; quem cum voluntate etiam necesse est ad crimen conflandum (§ 12.°, 13., 14. in fine, 15). Verum etiam ex causa tali mitigatio supplicii interdum nulla debet admitti: id quod plerumque est in illis, de quibus nuper commemoravi,

militibus, qui, pugnam ut instantem vitarent, deseruerunt castra: sola enim mors, et pœna certe nulla levior alia retinebit in agmine eos, quos nemo idem mortis abducit ab agmine, simulque a tutela patriæ periclitantis f. Omne 6a § qui in acie 5°, et f. 7a ff. de re militari, Antonius Matheus in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4° num 3° prope finem.

§ 40.

Generaliter de affectuum impetu.

Non solum qui metu, sed etiam qui vehementer commoti ira, amore, libidine, voluptate; tum qui calentes eo, quod in augenda affectuum audacia plurimum potest, vino delinquunt, dicuntur delinquere impetu affectuum. Hos nihil dubito referre inter delinquentes veros, quando nec impetus hic tantus est, ut extinguat judicium, ac tametsi impellat hominem, redditque ad crimen proniorem, vere tamen haud cogit, sed valet generosis animi viribus resistentis rationis: Aristoteles Ethicorum lib. 3° cap. 1°, et l. 3. cap. 10. Antonius Matheus de criminibus prolegomenorum cap. 1° § 3° et 1° § 4°

Sed quoniam; ceu apposite Tullius =

= leviora sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, et præparata inferuntur = de Officiis lib. 1° cap. 9°, sequitur agi oportere mitius cum patrantibus affectuum flamma, quam cum illis nequioribus, qui deliquerunt animo sedato f. 11a § delinquitur 1° ff. de pœnis, f. omne 6a § qui se 7° vers. per vinum ff. de re militari, Antonius Matheus de criminibus prolegomenorum cap. 1° § 14° prope finem, et in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4° num. 9°, Gratius de jure belli, et pacis lib. 1° cap. 10° § 16° itaque Gravesius num. 4° (§ 15°).

Hoc tamen intelligendum de impetu repentino, ac fortuito, non de eo, qui nascitur ex consuetudine indulgendi hisce pravis affectibus. Antonius Matheus de criminibus proleg. loco cit° Nam quid absurdius, aut perversius, quam vitium vitio excusari? id quod certe fieret, si vitium consuetudinis malæ valeret protegere facinus, quod per illam extitit. Cum igitur prava ea consuetudo fuerit plane libera, et voluntaria, ideoque inexcusabilis, non diversa erit natura, ac ratio affectuum, seu delictorum, quæ provenerint ex causa tali. Quocirca si irasci solitus quid fecerit per iram, non experietur misericordiam legum. Idem

placet in deliciis crapulæ, cum peccaverunt ferventes vino; et multo magis, si vino fuerunt usi, quo ad scelus fierent aptiores: ceu si quis meditatus ad necem aggredi inimicum suum, studuerit antea potando corroborare vires, et audaciam: in hoc enim homine vinum pertinet imo ad augendam, nedum ad nihil debilitandam malitiam consequentis criminis, Antonius Matthæus de criminibus locis citatis.

Et nuper dixi consequens, ut quoniam consequendo perversa tollit omnem excusationem affectibus, quos ipsamet aluit, ideo pœna ipsa legitima sive ordinaria, et non forme levior debeat coercere reos adulteriorum, stuprorum, reliquorumque scelerum, quæ ciet libido amatoria. Amores quippe isti haud nascuntur adulti, verum tam vehementiorem vim, cui restitisse videatur magis mirabile, quam malitiosum, adquirunt usu, et indulgentia conniventis animi, cui liberum erat, qui facile poterat, obstare initiis, Antonius Matthæus de Criminibus prolegomenorum cap. 2° § 14°, et in lib. 48. tit. 18. ff. sub numero 4. Brutorum hujus generis crimina numquam carent proprio suo impetu, eoque vehementi: quamobrem cum lex certam pœnam

dixit in illa, manifestum est noluisse illa habere propter istam causam puniri levius: alioqui pœna ordinaria nunquam foret habitura locum in malefactis ejusmodi.

Cæterum si deliquerit amans, non tamen solum ob amorem, sed propter affectum alium, cujus misereri videatur æquum: velut si contumelia aliqua a rivali suo provocatus exarsit, eumque occidit: habebitur quidem ad pœnam molliendam ratio iræ, habebiturque eo major, quo tum gravior fuit contumelia, tum injustius illi facta, qui nullam faciendi dederat causam, Antonius Matthæus de Crimin. locis proxime citatis. Id quod obtinet in iratis omnibus, ut aliquid tribuatur iræ, non tam propter iram, quam ob magnitudinem, justitiamque doloris, ex quo illa exarsit l. 1ª § ultimo ff. ad legem Corneliam de Sycariis, l. si adulterium 38° § Imperator 8° ff. ad legem Juliam de adulteriis, l. si quis 3ª § si tamen na-rius 3° ff. de Senatus consulto Silaniano, Antonius Matthæus de Crimin. prolegom. cap. 2° § 14° prope finem.

Caput 7.

De præbentibus alieno crimini causam, opem, consilium, tum de crimine non impedientibus.

§ 41.

De Crimine mandato

Si mandatum tibi crimen fuisti executus, uterque rei estis: tu quia crimen admisisti; ille quia causam crimini dedit: ideo enim tu crimen patrasti, ut implere mandatum ejus l. Nihil interest 15.ª ff. ad legem Corneliam de sycariis, l. non solum 11.ª § si mandato 3.° ff. de injuriis, l. 1.ª § dejectæ 12.° ff. de vi, et de vi armata, l. si per alium 5.ª in princ. ff. ne quis eum qui in jus vocabitur, vi eximat. l. penultima Cod.e si reus, vel accusator mortuus fuerit, Antonius Mattheus de crim. in l. 48. tit. 18. ff. cap. 4.° num. 15.°

§ 42.

De Crimine jusso.

Mandare magis æqualium, jubere est superiorum. Est multo quidem facilius non facere mandata eorum, quibus non subsumus, quam eorum, quibus subsumus, et quorum ideo potestatem

timemus, jussa contemnere. Ex hoc patet, quod nunc traditum fuit de mandatoribus, ut mandati criminis fiant verissime rei, obnoxiique pœnæ ordinariæ, id quadrare multo aptius in patrem, aut dominum, aut magistratum, qui si subditis suis crimen jusserunt, certe terribiles potestate dederunt efficacem criminis causam l. 7.ª § Si vero autem 2.° ff. arborum furtim cæsarum (§ 41.°). At vero propter id ipsum severitas legum, quæ nihil ignoscit illis, quibus liberum, et immune erat non exequi mandata improba, non debebit æquiter eodem modo etiam in inferiores jussos delinquere, quippe quorum in demissis animis, et consternatis multum potuit reverentia, metusque superiorum jubentium (§ 15.°).

Itaque vero jus commune sic habet in isto genere. Si delictum sit leve, vult veniâ videri dignum filium, aut servum, qui in illo patrando paruerint imperantibus patri, aut domino [ff.] in verbis qui eam, l. liberorum 11.ª § notatur 4.° vers. excusatur, et l. seq. ff. de his, qui notantur infamia, l. ultima Cod.e de his, qui sibi adscribunt in testamento.

Vera nulla potestas est, quæ jus habeat jubendorum turpium: propterea non vacant piaculo